



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

236. An religiosus, si persuadeat moribundo, ut sepulturam eligat in sua Ecclesia, incidat in aliquam poenam, excommunicationem, & peccatum? Et quid est dicendum, si religiosus induceret moribundum ad ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76429](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76429)

tom. 1. tract. 7. cap. 20. n. 50. Vincētius de Franchis decif. 718. Rodriguez tom. 2. quæst. 125. art. 2. & alij. 2. Notandum est tamen, quod illa verba, vt nihil inris Monasterio acquiratur, interpretanda sunt, vt cum licentia Superioris illud legatum in vltus licitos, & honestos, vt vestimentorum, & librorum, &c. conuertat. licet indirectè hoc in ipsius Monasterij commodum redundet; non tamen intelligenda sunt, vt ille ad libitum, & quomodocumque etiã cum licentia Superioris disponere possit; nam ita faciens esset proprietarius, nec Prelatus illam licentiam dare potest. 3. Nota etiã cum Molfesio vbi supra, quod in retrocessione illius legati ad heredem, nulla alia requiritur iuris solemnitas, cum nihil acquisitum sit Monasterio, sed solum sufficit denegatio licentiã Superioris, quã negatio facit, vt resoluatur legatum.

RESOL. CCXXXVI.

An Religiosus, si persuadeat moribundo, vt sepulturam eligat in sua Ecclesia, incidat in aliquam pœnam excommunicationem, & peccatum? Et quid est dicendum, si Religiosus induceret moribundũ ad sepeliendum se in aliena Ecclesia? Ex p. 5. tract. 3. Ref. 101.

§. 1. Respondeo quod Religiosus, vel Clericus tuadens alicui vouere, iurare vel promittere quod sepeliatur apud suas Ecclesias, vel mutabit sepulturam iam alibi ab ipso electam, peccat mortaliter, & incurrat excommunicationem Bonifacij VIII. compreh. ver. sepelire, §. 6. & si contra actum fuerit, electio sepulturæ non valet, neque eligens potest in illa sepeliri, etiam si iurauerit. Et ita docet Portel. in dubiis Regular. ver. sepulchrum, num. 3. 3. Nota verò cum Toletio lib. 1. cap. 36. n. 3. quod si Religiosus induceret moribundum ad sepeliendum se in aliena Ecclesia, etiã medio iuramento, seu voto, in nullam censuram incurreret, nec vllum committeret peccatum.

RESOL. CCXXXVII.

Religiosi morientes extra Monasterium, vbi sunt sepeliendi? Et notatur, quod renentur expensas factas in Monachi sepultura soluere, si in Parochiali Ecclesia sepeliatur. Ex p. 5. tr. 3. Ref. 110.

§. 1. Religiosi cum non habeant electionem sepulturæ, sepeliendi sunt in propriis Monasteriis, c. vlt. de sepult. lib. 6. Emanuel quæst. regul. tom. 3. 9. 60. art. 1. & 2. Vgolinus de offic. Episc. cap. 17. n. 9. latè Sánchez in pract. Decalogi. tom. 2. lib. 6. cap. 14. nouissime Aloyf. Riccius in practi rerum fori Eccles. part. 4. resol. 293. num. 39. etiã in extra claustra decedat, quia tunc etiã Parochis inconsultis ad eorum Ecclesias deferri debent, vt censuit sacra Congregatio Emin. Cardinalium Concil. Trident. Interpret. sub die 2. Iulij 1620. vt refert Laurentius de Peyrinis in constit. sui Ordinis Minim. tom. 2. constit. 7. Pij V. num. 1. vers. ad decimum pag. 194. nisi sint ita remoti à propriis Monasteriis, vt commode portari nequeant, quia tunc possunt eligere sepulturam, d. c. vlt. Nauair. com. 2. de regularibus, n. 43. Emanuel d. g. 68. art. 2. vers. Adueniendum tamen est. Sanchez d. c. 14. num. 3. si verò in partibus sic remotis à Monasterio moriantur, non electa sepultura, sepeliendi sunt in Ecclesia parochiali, in qua decesserint insit secularium in itinere morien-

tium, vt tenet Ancharan, & Franch. in d. c. vlt. Sanchez d. c. 14. num. 4. subdens contra glos. ibi, in casu positione sepeliendos adhuc in Ecclesia parochiali, quãuis ibi sit Monasteriũ aliquod sui Ordinis, nisi ibi fuerint causa perpetuæ residentię, & num. 5. subdit quod tenetur expensas factas in Monachij sepultura soluere, & hæc omnia docet etiã Barbosa de difficult. Parochi. c. 26. num. 30. cui addit Villalobos in summ. tom. 1. tr. 31. diffic. 2. num. 12. & Bellet. in disq. Cler. part. 1. tit. de Clerico debitore, §. 3. num. 39.

RESOL. CCXXXVIII.

An secularis hospes Regularium, si inter illos moriatur, sepeliendus sit in eorum Ecclesia, vel in Ecclesia Parochiali, in qua situm est Monasterium? Et docetur, quid agendum sit de suis familiaribus, & seruatoribus modo tamen dicti actualiter Religiosis inseruiant, aut in locis Religiosorum commorentur, & sub eorum obedientia viuant? Et an secularis famina existens in Monasterio Monialium, si sine vita veli sepeliri extra Ecclesia Monialium spectet ad Parochum, vel ad Confessorem Monialium associare cadauer, & percipere quartam funeralem, & alia in ratione sepulturæ? Idem est de puellis degentibus inra Monasterium causa educationis. Et notatur, quod pro Nonio moriente apud consanguineos, vel alias extra Conuentum, si in Monasterio suorum Regularium sepeliatur, non debetur quarta Parochi, sub cuius Parochia mortuus est. Ex p. 9. tr. 7. & Misc. 2. Ref. 62.

§. 1. Possit sepeliri in Ecclesia Regularium docet Bordonus in consil. Regular. tom. 2. resol. 51. n. 168. quod probat ex cap. 1. 16. quæst. 1. in fine. ibi: Mortuum non sepeliat, nisi Monachum in Monasterio secum commorantem, vel si fortuitò quenquam aduentum Fratrum ibi mori contigerit, Nomine Fratrum ibi non veniunt Conuersi Monachi, cum sub primo vocabulo, Monachum, contineantur: aliter non possent sepeliri in suis Monasteriis, sed solum Monachi Clerici: ergo sub eo nomine Fratrum comprehenduntur seculares peregrini, siue Clerici, siue laici: nam omnes fideles adiuicem Fratres sunt per lauacrum regenerationis Iesu Christi: vnde Chrysostronus homil. 25. in Epist. ad Hebræos, dicit: [Si enim quis Frater nominatur in vobis, Fratrem in hoc loco omnem fidelem intellige, non Monachum tantum: quid est autem, quod facit fraternitatem, nisi lauacrum regenerationis, quod facit posse vocari Deum Patrem.] Ergo ex illo capite Religiosi habent ius sepeliendi mortuos apud se defunctos. Confirmatur: quia in tali casu recipiunt omnia Sacramenta à Regularibus: ergo. 2. Sed nouissime contrariam sententiam docet Ægidius Trullench tract. de iure Parochi. cap. 9. dub. 1. n. 5. vbi sic ait: [Possunt Regulares in suis Ecclesiis (Parochis inconsultis) suos familiares, & seruitores sepelire, etque Sacramenta ministrare, modò tamen dicti actualiter Religiosis inseruiant, aut in locis Religiosorum commorentur, & sub eorum obedientia viuant. Constat ex concessione Clementis IV. & Sixti V. apud Fr. Ioan. de la Cruz de statu Religios. lib. 2. c. 6. dub. 1. n. 1. & c. 5. d. 4. maxime ex Tridentino sess. 24. c. 11. de reform. ibi: Exceptis tamen iis, qui predictis locis, aut militibus actu inseruiunt, & intra eorum septa, at domos resident subque eorum obedientia viuunt. Quæ omnia copulatiue requiritur, vt ij familiares dictis priuilegijs gaudere possint, vt tenet Bellarmin. in declarat. sup. Trid. sess. cit. iuxta Bullam 67. Circumspecta. Gregor. XIII. vide Fr. Ioan. de la Cruz vbi supra, dicto nu. 1. in fine.]

Sup. hoc in tom. 2. tr. 2. Ref. 22. §. vlt. cursum ad medium. Sup. hoc supra cursum in fine Ref. 163. & pro ministracione Sacra. Pœnitentiæ supra in Ref. 88. & in aliis eius primæ annot. & ceteris secundæ pro reseruatibus ab Ordinario locorum; & pro ministracione Eucharistiæ tempore Paschæ, & in

